

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,  
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von  
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0652

0650

0656

0646

0661

0641

0701

0601

0751

0551

0151

Ende

Anfang

79

sustinentiam habuerimus per illam viam non facile dixerim.  
Audeo dicere, quod in me ipso et in aliis sociis meis majores  
miserias et defectiones expertus sum in peregrinatione Jordanis  
tantum in prima mea peregrinatione, quam in omnibus viis  
secundae peregrinationis. Igitur in tenebris venimus ad saltus  
et clivos praecipites et in ascensum praecipitiorum cogebant  
nos de asinis descendere, et pedestres ire, et vix poteramus  
spirare p[re]a inedia. Vidi multos peregrinos in asinis sedentes,  
qui non poterant p[re]a debilitate frenum aselli tenere, unde  
aliqui de asinis cadebant et dimissis asinis in terra jacebant,  
quos tamen Sarraceni cum indignatione procedere cogebant.  
Laborem illius itineris intolerabilem reddebat noctis caligo et  
periculum praecipitiorum et debilitas perigrinorum et impor-  
tuna stimulatio Sarracenorum; sicut enim aurigae ducentes  
gravia pondera in curribus per praecipitia et clivos montium  
altos continuis clamoribus et verberibus bestias minantur et  
stimulant, sic nostri ductores sine intermissione nos et bestias  
nostras stimulabant per vias periculosissimas, in quibus casus  
bestiae mors et praecipitatio fuisse hominis. Adeo durus et  
gravis erat labor ille, quod si quis cum lumine peregrinorum  
facies contemplatus fuisse, madentes maxillas p[re] lacrimis  
vidisset et oculos p[re] fletu rubentes eorum, qui in nostris  
partibus auro, argento et gemmis ornantur. Audivi in illa  
nocte gementes et flentes et quosdam orantes, nonnullos vero  
maledicentes sibi ipsis, viae, terrae, militiae suae et Sarracenis.  
Alios vero audivi pro sui excitatione mussitantes in se ipsis.  
Sed in his omnibus comperegrinae et sociae nostrae annosae  
vetulae antecedebant nos, praeripientes loca militum, et nec  
gemebant, nec (**B**) conquerebant de labore, sed fortiores  
viris et militibus audaciore primae in acie procedebant.  
Magnam verecundiam faciebant nobis istae vetulae sua infati-  
gabilitate, unde quidam miles dixit mihi: ecce, frater, non  
credo has vetulas esse foeminas, sed daemones sunt, mulieres  
enim, praesertim annosae, sunt fragiles, tenerae et delicatae,  
istae autem sunt ferreae, cunctis militibus fortiores. Optabam  
Salomonem affuisse in nostro exercitu, et invenisset non unam,  
sed plures mulieres fortes. Suo namque tempore statuit pre-  
mium unius mulieris fortis de ultimis finibus mundi, ut habetur

